









1928 K 944

35

Periculum Academicum.

QVOD

*In Examine Nobilis hujus Problematibus Publico  
& placido*

AN ANIMA TO-  
TA SIT IN TOTO COR-

pore & in singulis partibus  
Tota?

*Divina aspirante Gratia subibunt*

PRAESES

M. PAULUS RÖSSEL

Reichenbachio Variscus

ET RESPONDENS

JOHANNES ALBERTUS STEINMÜLLER  
*Augustanus.*

Ad diem 21. Junij in auditorio minori  
horis à sexta matutinis.

WITTEBERGAE

---

Apud Paulum Schetlerum,

ANNO M. DC. XVII.

1617



VIRIS.

*Reverendis, Clarissimis, Excellentissimis,*

**Dn. BALTHASARI MEISNERO**

SS. Theologiae Doct. ac ejusdem in Inclita Wittebergenſium  
Academia Profefſori publico Celeberrimo, Praeceptoris,  
Inſpectoris, & Promotoris non intermoritura  
veneratione proſequendo.

**Dn. CVNRADO GEBELIO,**  
ad D. Annae Eccleſiae Auguſtanae praconi verbi Prima-  
rio, Superintendenti ſummis nominibus  
honorando.

VT ET

*Antiqua generis Nobilitate, Magnificentia,  
Prudentia, Authoritate, Iudicijq; dexteritate Praecllentissimis*  
VIRIS,

Dn. JOHANNI HENRICO HORWARTO.

Dn. MARTINO ZOBELIO

Dn. JOHANNI MANLICHIO.

Dn. JOHANNI BAPTISTAE HEINZELIO,  
Spectatiſſimi

*Quondam*

Dn. ANDREAE BOHAMI Testamenti,  
Executorib. & Adminiſtris fidelisſimis

NEC NON

*Nobilisſimo & Ampliſſimo*

Dn. OTTONI LAUGINGERO.

*Dominis Fauctorib. Promotoribus & Patronis ſingulari animi devo-  
tione ſuſpiciendis & venerandis*

Exercitium hoc in ſui commendationem

*Inſcribit, Dedicat, Mittit*

Johannes Albertus Steinmuller.





□ ΠΤΝΞ

# Thesis I.



Uim scientiarum praestantia oriatur vel ex *ἀρεθεία* vel ex rerum bonitate & admiratione, *ayene Philosopho l. 1. de An. 1. 1.* hęc quę est de Anima Scientia, facile inter primas inveniet locum. *ἀρεθείαν* enim cognitionis si desideras, quę dependet ex modo demon-

strationis: Is taci evidens est ac certus: 1. Ratione rei, quę magis confirmata est lumine intellectus: Quid enim cuiq; certiq; est ac notius, quam quod vivat, quod operetur, quod animam habeat? 2. Ratione progressus: Procedit enim ex nobis notissimis & experientia comprobatis à posteriori.

II Objectum sive rem consideratam si spectas, 1. Commune est illud & tale à quo reliquarum disciplinarum objecta certitudinem mutuuntur: Nam certitudo in animę quoq; assensu consistit, docente Zabarella: & propterea *δοκεῖ καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἀπασαν ἡ γνῶσις ψυχῆς μεγάλη συμβάλλεσθαι l. 1. de An. 1. 2.* 2. Est immateriale. Illa autem cognitio semper certior est, quę in eo subjecto versatur, quod omnino est à sensuum iudicio disjunctum, quam quę in re versatur, ad sensum maximè accommodata *l. 1. post. anal. c. 24. t. 42.* Materia enim incertitudinis causa est. *Zab. in l. 1. post. anal. p. m. 902.*

III. Difficultatem si consideras, in qua te exerceas, sat copiosa sese ibi offeret, & propterea admiratione digna est *ψυχολογία*. Miramur enim cuius causam investigare difficilimum est. *Toletus in l. 1. de an. c. 1. t. 1. q. 1.* Utilitatem si pascis, ea certè tanta est, ut sese amplius non contineat in circo Philosophico: Sed & ad illustrandas controversias à Theologis accitur in gravissimis fidei articulis: quod qui ignorat, consulat Chemnicium *in l. de duab. nat. in Christo*, Hunnium *in libellis de persona Christi* & passim alios.

▲ 1

4. Quę





4. Quæ cum ita sint, placuit nobis de Animæ naturâ aliquid in medium proponere: Quia autem de ea & maximæ & difficilimæ inter Philosophos agitantur controversiæ ex nobilioribus unam decerpere volui, quâ non rarò in illustrandis controversiis Theologicis delectantur Theologi. Ea est, quam in frontispicio dissertationis hujus proposui: An anima tota sit in toto corpore, & in qualibet corporis parte tota?

5. Nobilissima hæc est & pluribus involuta difficultatibus quæstio. Quæ quia non una sed multiplex est, & in subiecto & prædicato lateat homonymiæ *ἐν θύς ἐν ἀρχῇ διορισέον*, ut monet Philosophus l. 2. de repreh. Soph. c. 5, seorsim igitur utriusq; homonymia explicata, ea quæ ad statum controversiæ non pertinent, removebimus; ea v. quæ ad eum pertinent, certis thesibus inclusa, firmis rationibus muniam, rejectis contrariis argumentis & opinionibus. Ne a hæc tractatio reddatur hiulca & insufficientis, reliquas quocumque formas Physicas cum anima rationali (de qua *πρώτως* aliàs h. l. agendum) committam, quò manifestior evadat totius *ζητήματος* veritas & declaratio.

6. *Ἐν θύς ὑποκειμένῃς*. Hic primùm ex Thoma, Cajetano, Grego. de Valentia, reliquisq; Thomistis notandum, formas physicas (ad quas etiam refertur anima) non esse unius ejusdemq; generis. Primò n. dantur formæ in animatorum, quæ ita primò ordinantur & recipiuntur in aliqua materia, ut possint recipi in parte illius: Et hæc sunt illæ, quas in se unas, potestate a. plures pronunciat Aristoteles l. 2. de Anima 1.02. & in l. de Juv. & Sen. c. 1. Sic guttula aquæ non minus habet formam aquæ, quam Albis, ex quo desumitur: lapidis in minutiores partes comminuti quælibet pars habet formam lapidis. Deinde dantur, quæ disparem habitudinem ad materiam, & illius partes servant, & ita se habent ad totam materiam tanquam ad primum suum perfectibile, ut aliquam ejus partem separatam seorsim informare nequeant, quia organa diversa & dissimilem, in partibus singulis requirunt dispositionem, quo referunt animas animalium perfectorum, quorum animæ in principali parte nimirum in corde radican-  
tur.



tur, additâ animâ rationali. Nec enim equi anima vel alterius animalis abscissum pedem informat. Tertium dantur aliæ, quæ diversa quidem requirunt organa, sic tamen materiam actuant, ut etiam in parte avulsa residere queat, ut sunt stirpium & animalium imperfectorum formæ. Ramus enim ab arbore abscissus transplantatur & frondescit. Insecta in duas dissecta partes utraq; earum vivit ac sentit.

7. Deinde notandum formas, quâ tales, posse, in sua pura Entitate considerari per se & absolutè sine respectu ac *σχέσει* ad materiam hoc sensu omnes ex æquo fiunt indivisibiles Aristoteles *l. 7. Metaph. c. 2. 7. Scal. Ex 106. sect. 2.* & impropriè appellantur totæ, cum Physicæ simplices sint, nec ex partibus essentialibus materia & forma alia componantur, alàs daretur progressus in infinitum. 2. Quatenus *σχέσει* ac respectum habet ad materiam, cui sunt annexæ, hac ratione per accidens sunt (excepta anima rationali) quantæ & extensæ ad extensionem materiæ. Forma enim inquit Coelenius in Adversarijs ad Scal. *exercit. exot. quest. 35.* neq; major neq; minor fit ex proprietate suæ naturæ, seu per se non est quanta, cum sit incorporea. Si enim corporea esset, non posset *περιχορῆν* & penetrare omnes corporis partes. Forma fit major & minor ex materiæ incremento & decremento, ideoq; per accidens, quia per accidens nempe per materiam, quanta est, & sic quoq; amplius & angustius extensa. Atq; sic quæstionis sensus notante Zabarella *lib. de part. an. c. 11.* evadit duplex. Quæritur enim vel de animæ substantia, vel de quantitate accidentali, quæ ei competit propter unionem cum materia. Essentiam animæ si spectes verum est, eam esse totam in singulis partibus sicut v.g. tota & integra est albedinis essentia in parte parietis, non minus quam in tota pariete: ita in singulâ viventis parte inest essentia animæ integra, non tamen tota secundum quantitatem, quam per accidens adeptæ est ex conjunctione cum corpore.

8. Præterea anima rationalis in duplici consideratur statu, unum obtinet in corpore corruptibili, alterum sine corpore post mortem: quibus Theologi ex Bernhardo adijciunt ver-



rium, quem obtinebit in corpore glorificato post mortem. De posterioribus duobus h. l. non sumus solliciti.

IX. Tandem consideratur vel respectu informationis, & totum respicit corpus, singulasq; partes: vel respectu radicatonis, & primum membrum spectat, quod cor est principium sc: ac fons vitæ: vel respectu potentiarum quas in & cum corpore exercet.

X. *Ἐνθεοῖς κατηγορημὸς*. Duplex hoc est. 1. Anima tota est in toto corpore. 2. Tota est in singulis partibus; unde etiam duplex oritur quæstio, ut manifestè apparet. Occurrunt autem hoc loco non pauca homonymiæ, quæ explicandæ.

XI. Primum, Totum non est unius generis. Datur enim 1. totum essentialiale, quod in partes dividitur essentialia, sive Physicas, sive Metaphysicas. 2. Integrale seu quantum, quod in partes dividitur quantitativas. 3. Potestativum, quod multas vires seu potentias continet, quas in l. de An. Aristoteles sæpè partes vocat. *Conn. Col. in l. 2. de An. c. 1. q. 9. a. 2. Zab. de part. an. c. 1.*

XII. Deinde partium acceptio non est una & eadem, quæ tamen facilè dijudicari potest ex homonymia totius exposita. Totum enim & partes sunt opposita: at in oppositis quot modis dicitur unum, tot & alterum, docente Philosopho l. 1. *Top. c. 13. & Schebio in l. Top. p. 98.*

XIII. Præterea quod corporis partes attinet (animæ enim si partes attribuas, absurda planè evadet quæstio, quod probat Zab. l. de partib. anime c. 2. propriè enim neq; partes sunt, neq; totæ appellari possunt) illæ sunt vel similes & inorganicæ, vel dissimiles & organicæ.

XIV. Tandem totius quæstionis sensus duplex esse potest, declarantibus Dd. Conn. l. d. Unus est positivus, ita ut anima secundum omnes partes, quibus re ipsa constituitur, insit in qualibet parte corporis. Alter negativus ac si diceretur, non secundum unam partem est in una parte corporis, & secundum alteram in alia: Sed quicquid habet sive è partibus coalescat, sive non, id totum in qualibet corporis parte contineri.

XV. His ita præsuppositis jam facilis est totius quæstionis resolutio, quæ certis thesibus sive conclusionibus proponemus.

*Conch*



*Concl. I* In Partibus similaribus & inorganicis non est anima, quia propriè non sunt animata. Anima enim ἐντελέχεια est corporis organici. Est hæc conclusio opposita Scaligero, qui Ex. 280. Spiritibus & humoribus vitam attribuit, nec non Thomæ Scoti, Veigæ, Bonaventuræ, Durando & alijs, qui pilis & unguibus vitam attribuunt.

XVI. Contra hos urgeri possunt hæ rationes ex Horstio Exer. 4. de An. q. 7. & 8. 1. Anima est ἐντελέχεια corporis organici. 2. de An. E, non inorganici quale est pars similis. 3. Spiritus & humores partes viventes nutriunt & conservant: at pars parti non cedit in nutrimentum. 4. Spiritus & humores non sunt corpora coherentia toti & peculiari actioni vitæ destinata, sed sunt saltem contenta & impetum facientia, ut Hippocrates loquitur. Ergo non sunt partes vitales. 5. Pili ac ungues augentur & crescunt languente nutritiva facultate, quod patet in tabidis ac mortuis, quod cum experientia innuit Philosophus l. 3. de list. anim. c. 10.

XVII. *Concl. II*. Anima quoad radicationem est in corde. Consentiunt hac in parte pleriq;. Probat a. facilimè 1. Experientia, qui læso corde illico extingvi animal confirmat. 2. Ex nobilitate cordis, quod vitæ ac vitalium spirituum fons est. 3. Consensu omnium fermè Philosophorum ac Medicorum.

XVIII. *Concl. III*. Formæ elementorum imperfectorum animalium aliorumq; inanimatorum, quia extenduntur & dividuntur ad divisionem & extensionem materiæ, totæ respondet toti materiæ & pars parti, & propterea totæ non sunt in parte, Probat hanc ipsa experientia. Discrimen tamen h. l. obiter notandum venit. Formæ enim inanimatorum diu durare possunt, quod tamen in insectis non videmus post divisionem minus diuturnam vitam ducunt, quia non remanent eis instrumenta, quibus diu servari queant.

XIX. *Concl. IV*. Animæ perfectorum animalium non ἀπλῶς sed καὶ π sunt indivisibiles & propterea totæ non sunt in parte animalis, sed totæ in toto. Opposita hæc est Thomæ & Thomistis, qui indivisibiles eas asserunt. Contrarium inde potest probari. Sunt enim animæ istæ materiales. Nam in fieri & esse dependent à materia & ideo extra materiam non possunt subsistere

re



re vel operari. Separari enim eas & reservari post separationem à corpore nobis absurdum videtur.

XX. *Concl. V.* Anima secundum potentias suas omnes originaliter considerata est in omnibus ac singulis corporis partibus non tamen subjectivè, *Zab. l. de partib. an. c. 14. E. G.* visiva facultas est in solo oculo, ut in subjecto, sed originaliter est etiã in pede. Etenim in pede est anima, quã illa facultas insequitur ita ut reciperet per facultatem visivã si haberet oculum. Hæ enim facultates & potentiaæ sunt animæ propriae, & ab eã per emanationem fluunt. Dato autem subjecto, datur ejus proprium, quod per emanationem inde ducitur.

XXI. *Concl. VI.* Anima rationalis secundum suam essentiam totalitarem perfectionis, potentias communes originaliter sumtas, potentias proprias tota est in toto corpore & in singulis partibus tota.

Hujus enim est dispar ratio, non quæ fuit reliquarũ: nulla enim hæc quantitatem accidentalem mutuatur à materia, neq; ad ejus extensionem extenditur, neq; ad ejus divisionem dividitur: à materia enim non dependet neq; in fieri neq; in esse: Sed est spiritus: est simplex ac ἀδιαιρέτῳ. Probandæ autem tres hæc veniunt theses. 1. Anima ubi est, tota est. 2. Anima est in toto corpore. 3. Anima est in singulis partibus.

XXII. Prima probatur sic, Omne quod sic est indivisibile, ut nec per se nec per accidens sit extensum, est secundum se totũ ubicũq; est: Anima sic est indivisibilis, ut nec per se nec per accidens sit extensa. Ergo secundum se tota est ubicũq; est. Major propositio patet inde Nam quod nec per se nec per accidens est extensum, simul habet, quicquid habet. Minoris probationem require ex Toletio *l. de An. c. 2. s. 26. q. 5.*

XXIII. Secunda sic. 1. Quod dat esse toti unitur ei per essentiam. Anima dat esse toti. Ergo ei unitur per essentiam. Forma enim per sui essentiam dat esse, & hoc non nisi ei cui essentialiter unitur.

2. Anima operatur in toto corpore Ergo in toto corpore est. Operari enim & esse mutuo sese respiciunt, & unum ad alterũ necessariò consequitur, quod alibi probatur.

XXIV. Tertia sic. 1. Quod dat esse partibus, ut forma, unitur ei per



ei per essentiam. Forma enim dat esse seipsa & non per actionem, ut loquitur Javellus *l. 5. Metaph. q. 3.* Anima dat esse partibus. E.

2. In oculo est videre, sentire, vivere. Quæro igitur utrum sint hæc actus unus vel differentes. Non unus, quod inde constat, quia privato visu adhuc sentit per tactum: privato sensu adhuc vivit: ut videre est in paralytico. Cum igitur vivere sit à substantia, videre à potentia: in oculo est anima secundum substantiam. Non enim est vitalis operatio rei, nisi ubi res ipsa, & multò minus effectus finalis, nisi ubi forma est. Eadem ratione potest etiam probari, animam in omnibus partibus esse. Argumentum hoc Bonaventuræ est. *l. 1. Sent. dist. 8. q. 3.*

XXV. Audiamus autem etiam contrarias rationes, quæ proferri possunt, quò illud, quod à nobis assertum fiat illustrius ac clarius. Contraria enim juxta se posita magis elucescunt.

XXVI. Objicitur autem:

L. *Si in oculo esset anima secundum essentiam suam totam ac perfectiorem sequitur, avulso oculo totam auferri animam. Consequ. absurdum.*

XXVII. Resp. Negando consequentiam. Tota quidem est in oculo, sed non totaliter, sive ex toto, ita ut ex reliquis membris excludatur, ijsq; inesse nequeat. Ad hujus rei declarationem potest adhiberi similitudo Dei. Deus enim, ut inquit Augustinus, ubiq; esse dicitur, quia nulli parti rerum absens est: Ideò totus, quia non parti rerum partem suam præsentem præbet, & alteri parti alteram partem, sed non solum universitati naturæ, verùm etiam cuilibet parti ejus totus pariter adest. Addunt nonnulli similitudinem à voce præceptoris, quæ æquè tota est in unius ac mille auditorum auribus. nec non vultus æqualiter apparentis in diversis speculi fracti partibus: Verùm cum ibi non retineatur unitas, sed fiat multiplicatio, quadrare huc non videtur. Manet igitur quod ab Augustino dictum fertur: Singulis sui corporis particulis tota præsto est, cum tota sentit in singulis, atq; ita in singulis distantibus locis tota simul adest, non unum deserens, ut in altero tota sit, neq; ita utrumq; tenens, ut aliam partem hic habeat, & alibi aliam sed sufficiens exhiberi se

B

sin-



singulis locis simul totam, quoniam tota sentit in singulis, satis ostendit se locorum spatijs non teneri. 2. *Committitur fall. causa*, non enim propter praesentiam illam necesse est avulso oculo avelli simul totam animam, sed tunc si anima esset radicalis in oculo, sequeretur separatio animae. Anima autem principale esse habet in corde. Potest hoc aliquo declarari simili quod aliquo modo dissimile, quo & delectatur Zabarella libro saepius laudato *de part. an. c. 5.* Lumen in sole habet esse principale, in aere autem habet esse per participationem & per derivationem à sole: quo fit, ut aliquo solido corpore interposito privetur aer vel pars ejus aliqua lumine, quia privatur illa participatione ac dependentia à luce Solis: Eadem ratione si manus vel oculus à toto corpore sejungatur statim in ea omnis vita extinguitur, quia manus non habet animam, nisi propter conjunctionem cū toto corpore, qua simul atq; destituitur, definit esse animata.

XXIIX. II. *Quodcumq; totum inest uni corporis parti, illud totum reliquis inesse non potest. Atqui anima tota est in oculo. Ergo tota non potest esse in reliquis. Major suadetur inde: quia totum est extra quod nihil vel nullam partem sumere licet. Alias enim non esset totum sed pars.*

XXIX. Resp. Laborat argumentum vitio 4. terminorum. Major enim vera est de toto quantitativo, sive integrali, quod animae aptari nullo modo potest: minor de toto essentiali & perfectionali.

XXX. III. *Forma quae est in toto, & in partibus una, denominat partes & totum ratione eadem. Vnde qualibet pars ignis est ignis. Ergo si anima est in qualibet parte, qualibet pars hominis dicitur Homo.*

XXXI. Resp. 1. cum Thoma *parte 1. sum. q. 76. a. 8.* & Zabarella *l. de part. an. c. 6.* Animal enim perfectum illud esse, quod constat ex anima & corpore toto ac disposito. 2. Cum Bonaventura *l. 1. dist. 8. q. 3.* datur triplex genus formae, quod superius expositum: Major certa est de formis, quae extenduntur ad intentionem totius. Quia enim extenduntur, ideò perfectionem totius communicant partibus. Et talis forma licet sit una actu, potestate tamen plures est, Diversa est ratio in reliquis.



XXXII. IV. *Timplerus elumbe addit argumentum l. i. Empsych.*  
c. 1 problem. 12. *hoc. Nulla creatura potest esse simul in omnibus*  
*locis. Neceffe autem esset animam esse simul & semel in pluribus*  
*locis, si illa simul esset tota in toto corpore, & in qualibet ejus parte*  
*tota, quod tamen absurdum.*

XXXIII. Resp. Quis unquam animæ corpus ut locum assi-  
gnare ausus est? Suntne spiritus in loco? Animæ quidem per ac-  
cidens tribuitur locus, quia continet id, quod revera & per se in  
loco est, h. e. corpus: Sed quis corpus illud animæ locum dixit?  
Non enim corpus animam, sed anima corpus continet. *l. i. de an.*  
*7. 90.* Sed absurdæ hujus opinionis fundamentum facile absurdie  
tate sua ac vanitate evanescit, si tamen plura desideras, vide cla-  
riss. *l. Marrini l. 2. de loco c. 18 & 19.*

XXXIV. V. *Alij quos refutat scaliger Ex. 307. s. 29. hoc urgent*  
*argumentum: Si arteria vinciat, non moveri, quod infra no-*  
*dum sit. Non igitur ibi esse animam.*

XXXV. Resp. 1. in majore si ad Syllogismum categori-  
cum reducatur nulla est sequela. Non enim sequitur: motus est  
Ergo anima est. Motus non est. E. anima non est. Nam etiam ex  
sensu judicatur anima. Venæ quoq; animatæ sunt & sentiunt,  
non tamen moventur. 2. committitur fallacia causæ: Non enim  
ob animæ absentiam non moventur. Perridiculum enim est, si pu-  
tes arteriam mortuam, ubi vincata est: cum revincta vivat. Sed  
ideò, quia arteriæ motus est à motu cordis & spirituum, quorum  
affluxione pars illa paulatim cum deligata est.

XXXVI. Quanto verò major datur hujus disputationis u-  
tilitas ac jucunditas, tantò etiam major est ejus abusus, quem ado-  
versarij admittunt in Disputatione de Persona Christi, quem  
coronidis loco breviter saltem refutabo: Sic autem accommo-  
dat hanc Disputationem Busæus Esavita in Apologetico contra  
D. Steph. Gerlachium c. 7. p. m. 205. Quemadmodum qualibet  
pars corporis, licet totius animæ sit capax, nō tamen est, ubicun-  
que anima est, &c. Non enim pes est in digito, quia anima tota in  
utroq;: Sic nec caro Christi licet totam divinitatem capiat, non  
tamen est ubicunq; secundum essentiam suam divinitas: Sicut  
nec unum aliquod Christi membrum (corporis scil. myitici)



nunc in cœlo est, ubi cætera sunt, licet quodlibet totius capax fuerit divinitatis.

XXXVII. Verùm in hac similitudine & collatione maxima datur dissimilitudo & disparitas. Primum enim non possum dicere digitum, pedem vel aliam aliquam corporis partem animæ toti unitam constituere personam, quæ dicatur homo. Non enim pars integrans cum forma constituit unum essenziale: sed corpus constans ex partibus integrantibus totum constituit hominem: Sic etiam in isto maximo majori mysterio non pars corporis assumpti, sed tota natura humana cum λόγῳ constituit unum ὑφ' ἑαυτῶν. Deinde λόγῳ non ita assumpsit humanam naturam suam, ut ei saltem adsit quoad sustentationem & conservationem (tali enim modo & reliquis creaturis adest, & nullus ad incarnationem dignus subortus novus modus) sed per personalem unionem ut constituat unam personam. Ergo non tantum totus sed & totaliter naturæ assumptæ fuit unitus: ὑπόστασις enim τῆς λόγῳ à natura λόγῳ nō differt: Si igitur humana natura totam λόγῳ habet hypostasim. E. & totam naturam: Cum utraq; sit imparibilis. Et propterea Col. 2. πᾶν πλῆρημα τῆς θεότητος in carne assumpta habitare dicitur. Qui modus loquēdi Hebræis cum primis usitatus notat totā totaliter Deitatē in ea habitare. De anima vero rationali dicere non possum, quod tota totaliter in aliquo membro, sed saltem tota. Tandem simile hoc non pro adversariorum, sed nostra militat sententiā, cui eam facile adaptare possumus, & longē felicius ac rectius. Sicut n. anima non est extra suum corpus, sed in corpore & ubi corpus est, ibi & anima est, ac vice versa: sic etiam λόγῳ non est extra carnem ὑποστατικῶς sibi unitam, sed in ea: & ubi λόγῳ est, ibi caro est, ac vice versa.

XXXIIX. Claudimus igitur hisce sic expeditis totam hanc controversiam pluribus refertam difficultatibus aphorismis no illo Chrysostomi in epist. ad Rom. τὸ μὴ θέλειν πάντα ταῖς βῆθι εἰδέναι, ἔμικρόν τ' εἰδέναι τεκμήριον, quem Scaliger totidem penē verbis latinè extulit, cum versaretur in hujus ipsius quæstionis enodatione. Ex. 307. f. 29. *Humane Sapientia pars est quedam equo animo nescire velle.*

Δόξα τῷ Θεῷ.



WITTENBERG, Diss., ERG. B. D.,  
1. 1612/1667

ULB Halle  
005 377 20X

3



nicht verbewerten

W 177

Wilb. Felger  
Buchbinderei  
Bismarckstr. 8









K 944

35

Academicum.

V O D

*hujus Problematia Publico  
placido*

# IMA TO. TOTO COR.

*singulis partibus  
Tota?*

*te Gratia subibunt*

A E S E S

US RÖSSEL

achio Varilcus

S P O N D E N S

R T U S S T E I N M U L L E R

*ustanus.*

*ij in auditorio minori  
ta matutinis.*

E B E R G A E

m Schetlerum,

4, DC, XVII,

1617

